

tervenit quando eligit majus bonum et generaliter in omni actu, quem elicit voluntas, cum enim in illo voluntarie operetur, utique facit, et elicit quia vult. At vero quando eligit minus bonum relicto majori, et eligit hoc quia vult, ly quia vult specialiter ibi se habet, quia redditur pro ratione electionis sic factæ, quod utique non redditur quando eligit majus bonum, et cognoscitur, atque advertitur hoc ipsum ab intellectu, qui cum non inveniatur in illo minori bono, quid moveatur sufficienter ex meritis objecti, apprehendit, et proponit voluntati, ut ob suam libertatem eligat, eaque utatur eligendo hoc quia vult, et sibi placet, et quasi suo dominio utendo. Ergo ly quia vult concurrat tamquam motivum ex parte objecti, et tamquam id quod redditur pro ratione, et advertitur ab intellectu, proponiturque voluntati; ergo non solum fertur in objectum minus bonum, quia vult elicitive, et effective, sed quia ex parte motivi, et ex parte objecti sic relucet, ut de facto movens præ alio, atque adeo magis.

XVII. Et totum hoc confirmatur et explicatur ex communi hominum sensu, quia cum voluntas eligit minus, aut æquale, relicto alio, dicitur ex mera gratia sua id facere, ita quod est pro ratione voluntas. Si ergo est pro ratione voluntas, ita quod si interrogetur homo: Quare sic eligis, respondebit: Quia volo; ergo signum est, quod in tali electione aliquam rationem applicat voluntas pro parte istius objecti magis quam pro alia, quia scilicet applicat illi suam gratiam, et suum placitum gratuitum, quod utique etiam intellectus cognoscit, et sic proponit, et iudicat; ergo ab aliquo majori motivo, et majori convenientia movetur voluntas in isto minori objecto, quam in alio, scilicet ex beneplacito, et gratia sua, quam applicat vo-

luntas isti objecto magis quam alteri, et sic gratia sua, et beneplacitum se habet ut motivum, quod magis ponderat pro ista parte, quam pro illa. Si autem tale motivum sui beneplaciti non cognosceret, nec proponeretur voluntati, non moveretur ab illo, nec esset motivum, quia motivum non operatur, nec influit in voluntatem nisi prout cognitum. Quare sicut voluntas non potest quoad exercitium se determinare quoad istum actum in individuo, nisi juvetur, et moveatur ab extrinseco principio, scilicet a Deo, ita neque quoad specificationem potest ex se sola determinari, nisi adsit principium extrinsecum determinans, scilicet objectum a quo pendet tota specificatio. Ergo si hoc objectum minus eligitur, et non illud majus, non solum voluntas determinat ex se, sed aliquod motivum, seu convenientia repræsentatur, quæ moveatur ex parte minoris objecti, et non moveatur ex parte majoris. Illud ergo cum in ratione movendi prius operetur, dicitur majoris boni vicem habere, id est, majoris motivi, et magis operantis, seu moventis præ alio.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVIII. Primo arguitur: Deus potest eligere id quod est minus bonum relicto meliori, stante eodem iudicio practico, et eadem cognitione; ergo etiam nos. Consequentia patet; tum, quia nostra voluntas est quædam participatio divinæ voluntatis, et sic potest procedere in hac parte sicut et ipsa; tum, quia si Deus, qui prudentissime, et cum omni scientia, et circumspectione procedit, potest eligere quod minus bonum est, quanto magis nos, qui multa imprudenter, imo et temerarie facimus, possumus pro nostra

libertate eligere, quod est minus. Antecedens vero probatur, quia Deus posset meliores creaturas facere, et alium mundum creare multo perfectiorem isto, imo et alios in infinitum perfectiores, et habet modo, et videt omnes rationes tam speculativas, quam practicas, quibus moveri posset, si vellet perfectiores creaturas facere, et relinquere istas quas modo fecit, et tamen hoc non obstante elegit de facto istum mundum, et istas creaturas, quæ sunt multo imperfectiores aliis, quas in infinitum meliores facere posset; ergo invariato motivo, et dictamine, omnique iudicio, potest Deus eligere minus bonum, et de facto eligit, relicto meliori et perfectiori.

XIX. Confirmatur, quia potest voluntas intendere finem minus bonum relicto meliori, ergo etiam potest eligere medium minus bonum relicto meliori. Consequentia patet, quia non est minus libera voluntas in eligendo media, quam in intendendo finem. Antecedens probatur, quia propositis duobus objectis delectabilibus potest voluntas eligere minus delectabile, relicto delectabili, vel eligere delectabile, relicto honesto; et denique finem pravum amare, relicto Deo: et hoc cognoscendo se eligere id, quod deterius est. Cum enim isti duo fines possint esse res creatæ, aut alter eorum Deus non clare visus, neuter eorum necessitat voluntatem quoad specificationem; potest ergo eligere quemlibet ex illis pro sua libertate.

XX. Respondetur ad illud argumentum de divina voluntate varias adhiberi solutiones, quas impugnat Montesinos supra citatus, sed tota vis argumenti unico verbo solvitur, dicendo quos Deus eligit id quod est minus bonum ex parte rei electæ in se, sed semper id quod est majus, et convenientius ex parte motivi, quia movetur ex mera gra-

tia, et liberalitate sua quando eligit has creaturas potius quam illas, quia ut dicit Apostolus ad Ephes. 1: *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, et ita motivum ejus ad dandum his potius, quam illis, est voluntas, et gratia sua. In his autem quæ ex mera gratia, et liberalitate fiunt, ipsum motivum gratiæ, scilicet quia vult, est id quod magis eminet, et ponderat in hoc objecto præ alio quando eligitur, licet in se intrinsece sit minus bonum, in ratione enim gratuiti boni, et pro ut afficitur gratia Dei, melius, seu majus est. Unde ipsa gratiosa liberalitas, et voluntas Dei repræsentatur ibi ut motivum, quod magis ponderare facit in ordine ad eligendum id quod alias in sua intrinseca bonitate minus est, quia hæc non est quæ movet divinam voluntatem, sed solum sua bonitas et voluntas, sicut dicit Boetius in libro de consolatione philosophiæ:

Quem non externæ pepulerunt fingere causæ.  
Materiæ fluitantis opus, verum insita summi.  
Forma boni livore carens.

Et sic semper Deus facit id quod melius, et convenientius est ex parte motivi, quod est gratia sua, non quod melius est ex parte intrinsece bonitatis rei. Unde D. Thomas 1 p. q. XXI, art. IV, ostendit quod in prima rerum productione non possumus reducere aliquid in justitiam, sed in misericordiam Dei, quia justitia præsupponit aliquid ex parte ejus, cui redditur debitum: si autem nihil supponitur nullum est debitum, sed pura gratia, et misericordia. Deus autem omnia ex nihilo produxit, et sic motivum producenti fuit sola gratia, et liberalitas, quæ semper eminet, et præponderat, non ipsa diversa bonitas rerum, quæ eliguntur. Servat tamen Deus aliquem modum justitiæ, quatenus supposi-

ta voluntate creandi, dat unicuique creaturæ id quod sibi proprium est.

XXI. Cur autem posita repræsentatione omnium motivorum, et suæ gratuitæ voluntatis, et gratiæ, quam posset Deus exercere circa alios mundos, et alias infinitas creaturas meliores, quam istas, voluit istas minores ex eadem gratia sua eligere? Quis consiliarius ejus fuit; aut quis poterit dijudicare? Sufficit nobis illa responsio patris familias ad operarios murmurantes, Matth. xx: *Volo huic novissimo dare sicut et tibi. Annon licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus?* Sic ergo in nobis, qui movemur ab ipsa bonitate obsectorum, potest inveniri unum motivum majus altero, quia res ipsæ diversæ bonitatis sunt, et tamen aliquando ex gratia, et mera voluntate movemur etiam in id quod minus bonum est. In Deo autem non est quærendum aliquod motivum ex parte creaturarum, quæ coram ipso quasi nihil et inane sunt, sed totum motivum est gratia, et voluntas sua quam applicat cui vult, et tollit a quo vult, præponderante semper illo, quod convenientius est ex parte suæ gratiæ, non ex parte rei creatæ. Plura de his diximus in tomo, prima parte, circa quæstionem xxv.

XXII. Ad confirmationem respondetur eandem esse rationem de intentione finis, et de electione mediorum, quod ex duobus finibus potest quis accipere id quod deterius est secundum se, et materialiter, sed formaliter ex parte motivi, seu dictaminis judicatur melius, aut convenientius isti subjecto sic intendenti, vel quia illa bonitas licet secundum se sit inferior, tamen relate ad hoc subjectum judicatur aptior, et convenientior hic et nunc, vel quia aliquo extrinseco motivo, verbi gratia liberalitatis, aut gratiæ, vel experiendæ propriæ voluntatis, aut alio

simili vestitur illud minus bonum, et sic vestitum redditur melius, seu convenientius saltem extrinsece, et respectu hujus subjecti sic volentis hic et nunc.

XXIII. Secundo arguitur: Quia voluntas circa bona particularia est libera quoad exercitium, et specificationem; sed quantumcumque intellectus in suo judicio, et dictamine proponat aliquid ut melius, adhuc tale bonum remanet tamquam particulare, et limitatum; ergo adhuc stante tali meliori dictamine potest respui, et consequenter eligi id quod judicatur esse minus bonum practice, etiam stante tali dictamine. Et licet ex suppositione finis voliti necessitetur voluntas ad eligendum unicum medium, tamen in præsentia non currit iste casus, quia supponimus dari plura media, unum majus, alterum minus, inter quæ potest dari electio. Quando enim est unicum medium, illud exhaurit, et continet totam conducentiam, et utilitatem ad finem, quando autem sunt plura media, licet unum sit melius, non tamen totam quidditatem utilitatis, et convenientiæ ad finem continet, quia restat aliud, quod aliquam utilitatem habet, licet minorem. Ergo non necessitatur voluntas ad eligendum melius, nec ex suppositione finis, quia non est unicum medium: neque ex necessitate absoluta, vel ex ipsa natura voluntatis, quia indifferenter se habet ad utrumque, si quidem libera est.

XXIV. Confirmatur primo, quia probabile est voluntatem posse suspendere omnem actum, non solum moraliter, id est, volendo ipsam suspensionem, et voluntarie illam patiendi; sed etiam physice nullum omnino actum habendo, neque voluntarie patiendi: sed tunc voluntas non suspenditur ex aliquo motivo convenientiori movente ipsam

quia non movetur actu aliquo; ergo potest aliquo bono meliori proposito voluntas minus bonum eligere, quod est suspendere se omnino, nulla majori convenientia, aut motivo repræsentato ut se suspendat; suspendere autem se minus bonum est.

XXV. Confirmatur secundo illo vulgari argumento: Si homini proponantur duo bona omni ex parte æqualia, verbi gratia famelico duo panes, vel cibi omnino æquales in quantitate, qualitate, et cæteris conditionibus, vel eliget alterum, aut utrumque, aut neutrum. Si primum, habetur intentum, tunc enim non ab aliqua majori bonitate proposita determinabitur voluntas, quia ut supponimus, non datur, sed præcise a se. Secundum non potest stare, quia ponimus casum, quod illi famelico non permittitur utrumque panem tollere, sed alterum tantum. Tertium autem est omnino ridiculum, quod ille famelicus nullum panem accipiat, solum ex eo quod utrumque æquale bonum est, et sic velit in sua fame manere. Nec videtur relinqui libertas, si obligatur manere suspensus in tali casu, nam utrumque illud bonum creatum est, et particulare; ergo potest aliquid boni, et aliquid defectus in eis apparere, et sic alterum poterit assumi, et alterum relinqui.

XXVI. Quod si recurratur ad novam considerationem intellectus, dicendo quod voluntas potest tunc libere eligere, quia potest movere intellectum, ut de novo consideret, donec inveniatur aliquam inæqualitatem in objectis contra est, quia etiam post istam inquisitionem illa duo media possunt manere, et judicari æqualia; et si voluerit facere gratiam, etiam in hoc poterit indifferens, et suspensa manere cui illam faciat, quia in re utrumque est æquale, et potest intellectus judicium

proferre, sicut est a parte rei, judicando utrumque æquale; ergo stante vero judicio tenebitur voluntas manere suspensa; et cum ista necessitas oriatur ex judicio antecedente, quod omnino æquale est, necessitabitur simpliciter voluntas ad talem suspensionem necessitate quoad exercitium, quia est circa unum e duobus contradictoriis, scilicet inter facere, et non facere, seu suspendi.

XXVII. Respondetur concedendo, quod voluntas simpliciter potest in casibus positis quodcumque bonum eligere, etiam minus, vel æquale, mutando tamen judicium, et vestiendi tale bonum aliquo meliori, et convenientiori motivo, ratione cujus sit practice melius, licet in se, aut etiam speculative sit minus, non autem immutato manente judicio, et dictamine sub minori motivo. Et quia voluntas potest simpliciter sic mutare dictamina, et judicia, potest simpliciter ex quocumque bono proposito eligere quod voluerit, etiam si alias minus bonum sit, quia potest majori, et convenientiori motivo illud vestire, et sic semper eliget quod convenientius est saltem practice, et ex parte dictaminis moventis hic et nunc. Solum Deus clare visus, quia non potest aliquo motivo, vel dictamine vestiri quo disconveniens appareat sive quoad specificationem, sive quoad exercitium, quia semper apparet ut summum bonum, necessitat utroque modo voluntatem ut repudiari non possit.

XXVIII. Et cum instatur, quod hæc necessitas eligendi melius ex parte motivi, nec oritur ex suppositione finis, sicut quando est unicum medium, nec ex absoluta natura voluntatis, quia indifferens est, respondetur, id provenire ex natura ipsa, et modo operandi voluntatis, non quatenus naturale opponitur

indifferenti, sed quatenus in ipso modo operandi dependet intrinsece, et essentialiter ab objecto, et motivo proposito per intellectum. Et sicut voluntas ex ipsa sua natura non potest ferri in incognitum, ita nec potest ad unum præ alio determinari, nisi aliquod motivum habeat, quod præ alio determinet, et emineat, sive sit motivum ipsi objecto intrinsecum sive non; quia voluntas est potentia ex sua natura mobilis ab objecto, nec potest operari nisi ut mota ab illo. Unde si duo bona proponantur, et ab uno præ alio movetur, hoc objectum sic movens, convenientius, et majus est in movendo præ alio.

XXIX. Ad primam confirmationem respondetur, quod in illa sententia, quod voluntas potest etiam physice omnem actum suspendere, non currit noster casus, quia non eligit minus neque majus bonum, sed nihil facit, seu suspendit se, nihil vitaliter operando, nec circa objectum occupata. Et sic non mirum, quod sive motivo objecti se suspendat, quia illa suspensio non est actus circa aliquod objectum. Sed difficultas est, an voluntate operante circa aliquod objectum, et operationem exercendo, possit circa minus bonum, etiam non vestitum meliori dictamine, et motivo, sed æquali, aut minori iudicio stante solum pro sua libertate ad minus inclinari, et moveri, quod totum supponit dari operationem, et non suspensionem. Veritas tamen est talem suspensionem physicam non debere admitti, ut supra diximus.

XXX. Ad secundam confirmationem respondetur, quod in illo casu determinabitur voluntas a motivis extrinsecis, sicut sunt circumstantiæ, aut aliæ conditiones ibi concurrentes, et individuantes, aut ipsamet experientia propriæ libertatis, scilicet quia vult, aut ipse impetus

famis eam determinabunt. Quantumcumque autem urgeat instantia temporis facile est voluntati movere intellectum ad consideranda ista extrinseca, aut unum præ alio, et sic determinari; imo quanto magis urgent ista, tanto solent celerius considerari, et sic determinari. Quod si voluerit voluntas illa considerare, nec ab eis moveri, manebit suspensa, non ex defectu motivi, sed quia determinari non vult. Et cum dicitur, quod non manet libertas, si cogitur manere suspensa, respondetur quod non cogitur simpliciter manere suspensa, neque ex defectu motivi, neque ex defectu iudicii, et dictaminis, quod facile potest formare, et mutare prout voluerit, et sic non suspendi, sed illa motiva applicare, quibus moveatur. Quod si noluerit, non suspenditur, ex necessitate, sed ex arbitrio suo, imo non suspenditur, quia de facto habet nolitionem.

XXXI. Ad ultimam instantiam dicitur, quod post illam inquisitionem possunt illa motiva manere æqualia ex parte suæ bonitatis intrinsecæ, transeat; ex parte motivorum extrinsecorum, et dictaminis practici, nego. Hæc enim motiva cum tam multa, et varia sint, atque ex tam inæqualibus circumstantiis consurgant, non possunt semper, et omnibus modis esse æqualia, si voluntas velit, quia saltem potest ratione experiendæ propriæ libertatis, aut ratione propensioris affectus, vel impetus naturæ, vel ex aliqua alia circumstantia, et conditione extrinseca facere quod emineat unum motivum præ alio, et sic proponatur ab intellectu, et illa propositio facit dictamen majus, aut convenientius practice, et in ratione movendi. Nec voluntas tunc suspenditur, quia potest applicare intellectum ad formandum, vel mutandum tale dictamen ut voluerit, quia voluntas po-

test ad libitum illud formare, et mutare, ac diversa motiva facere proponi. Quare tota resolutio controversiæ ad hoc punctum reducit, quod voluntas potest quidem determinare se circa minus bonum, vel æquale, tamen oportet quod ex parte intellectus sibi proponatur, et repræsentetur illudmet motivum unde ipsa movetur ad hoc præ alio acceptandum non sine tali repræsentatione, et in hoc in quo movetur præ alio, magis illud eminet, et convenientius ostenditur. Et sic ex parte motivi semper eligit majus, vel convenientius, ex parte rei potest eligere etiam minus.

## ARTICULUS III.

*Utrum circa impossibilia possit esse electio et voluntas?*

I. D. Thomas in hac quæstione XIII, art. v, duo dixit. Primum, quod electio solum potest esse possibilium: secundum, quod voluntas imperfecta potest esse de impossibili. Dicitur voluntas imperfecta, voluntas inefficax, quæ ab aliquibus velleitatis dicitur. De primo dicto non est difficultas, quia electio est voluntas determinata, et efficax circa media in ordine ad consecutionem finis. Consecutio autem finis repugnat cum medio impossibili; ergo si cognoscitur, et iudicatur medium impossibile, repugnat quod per tale medium fiat tendentia ad consecutionem finis. Si autem detur ignorantia hujus impossibilitatis, poterit esse electio talis medii impossibilis per accidens, scilicet ratione ignorantia; erit enim electio de re secundum se impossibili, iudicata tamen possibili; quod est formaliter, et motive esse de re possibili; vo-

luntas enim iudicio regulatur, non eo quod in re est.

II. De secundo dicto est difficultas, quomodo voluntas imperfecta possit esse de re impossibili, quando iudicatur esse talis. Nam si iudicetur esse possibilis, non solum imperfecta, et inefficax voluntas, sed etiam perfecta, et efficax dari potest. Ratio dubitandi est, quia ex una parte constat per experientiam dari talem voluntatem; nam mortuo parente, vel amico, adhuc vellemus ipsum vivere; et desperata salute infirmi, adhuc vellemus ejus sanitatem, et damnati vellent Deum non esse, aut eorum tormenta finire, quæ omnia impossibilia sunt: ergo circa impossibile datur voluntas imperfecta, et inefficax. Ex alia vero parte urget valde ratio metaphysica, quia impossibile iudicatum ut tale caret entitate, ergo et bonitate, et sic apprehenditur ut carens illa; ergo non potest esse objectum alicujus actus voluntatis, quia objectum ejus adæquantum est bonum; ergo quod caret omni bono, et sic apprehenditur, caret omni objecto voluntatis sicut quod caret omni colore etiam apparente, caret omni objecto visus. Nec potest dici, quod circa impossibile datur actus conditionatus voluntatis, non absolutus. Nam iste actus vel de facto elicitur a voluntate, vel non. Si non elicitur, non datur in re: si elicitur, ergo habet de facto objectum circa quod versetur, scilicet aliquod bonum; nec enim potest actus alicujus potentia versari circa id quod solum conditionate, et non de facto est objectum talis potentia, sicut non potest dari actus videndi circa id quod est coloratum sub conditione; ergo nec actus voluntatis circa bonum sub conditione.

III. Et confirmatur, quia possibilis in puro statu possibilitatis non amantur a Deo, etiam actu ineffica-